

The manuscript, a rough draft in Capito's hand, is in the city archive of Strasbourg, AST 40, # 47.

S. D. Nostis quid incommodi, amice et patrone ingenue, praeterieris qui his annis fatalibus non accesseris Germaniam. O calamitatem! Quantum tragoediarum hic sustineo! Quae res novum hominem nobiles atque monarchis pariter commendare et iure et merito deberet, ea auctori cum primis odiosa est hoc seculo pessimo, quam rursus ut popularem multitudini prisci putassent
5 omnem aurae vulgaris concitet in me procellam. Praevideram olim incendium hoc quo nunc orbis conflagrat, praemonui, asserui certis mediis nitenti Leoni X meam parvitatem; in aulam protractus oravi, obsecravi, et quid non feci, quo cervicibus nostris tum quoque imminens ista pernities¹ illi amolirantur, a quibus rerum summa dependere videbatur. Quorum equidem autoritate omnia fieri semper maluissem quaecumque ad gloriam Christi et salutem reipublicae
10 facerent. Quid igitur? Irritam operam ludo, inoffense observior,² in suspicionem publice vocor, obalienati animi, tam tenerae felicitum aures sunt ut nihil salutare nisi quod blanditiis corruptum arbitrentur.

Monuit quondam Rever. Cardin. Sedunensis apertam hanc simplicitatem subinde tuerer neque dubitarem quin se mecum incumbente huic malo propediem contra eundem esset maiore
15 commoditate idque citra minas citraque tyrannidem. Nam vidit vir ille prudentissimus edictis rem exasperari magis, viribus pressam exurgere fortius, gladio exagitata quem tum magnifice quidam minabantur, aeternis seculis confirmandam. Cuius equidem sententiae, hoc momento etiam nunc persevero. In affectis enim quid imperium, quid armorum, obsecro, concita vis est. Silui igitur, iudicium dissimulavi, ex vulgo et ex amicis incertioribus conscium habui neminem.
20 Qua cautione Lutheranorum phalanges in me atrociter provocavi. Quot obsecro libellis innocentiam meam prosciderunt, neque respondi tamen in publicum unquam, homo omnium ut videtur famae negligentissimus. Quot rursus procerum suspicionibus, apertis expostulationibus, criminationibus iniuriis interim dilanior, idque in os coram contumeliosissime! Perfero omnia, fretus tum indubia spe, fore olim quo integra consilia subdolis assentationibus dominis rerum sint
25 praelaturi quoque vulgi levitas de reipublicae amantissimo magis ex re sit pronunciatura, quam modo pronunciet.

Postquam vero huc appulerim, rebus mire turbatis, pacificum pro occasione Capitonem exero utramque factionem ex ambone laudo utramque iuxta incesso graviter, quoad serenitatem aliquam relucescere prudentes animadverterunt. At resupina monachorum sacerdotum
30 praelatorum inscitia qua bile, quo stomacho, quo denique arrosit dente livoris quae ego tranquillissime dixeram, e contrario Lutherani longe lateque me deferunt ceu evangelii cladem maximam neque etiam libellis abstinere. Unum mitto his diebus ex improviso traditum ex cuius gustu licet reliquam meam fortunam coniciias.

Apud meos omnia incerta dubiaque, apud externos omnia certissime hostilia extabant. Quo fato in
35 arenam producor invitus, observandissime vir, accipio tamen conditionem eam ut inevitabilem, ita animo meo semper adversam scilicet expurgandi me in publicum. Idque postquam gravissime decumberem non minus cruciatu corporis quam animi fractus, neque enim ex hypocausto in alterum mensem tum pedem extuleram. Excuso igitur me episcopo meo. Nam cui potius reddere et fidei et facti mei rationem convenit? Iam his diebus quicquid id est evulgabo publicique iuris

¹ Sic. The sentence structure requires 'istam perniciem'.

² Sic. Cf. Seneca, *De tranquillitate* 9.3 for the deponent use of 'servior'.

40 faciam si necdum per impressores qui exemplum in manu aliquandiu habuerunt factum est. Quod
undique monentibus amicis et lacerantibus utrinque inimiciis tributum est, reluctantem sane genio,
quam felici autem auspicio, nescio; certe mihi bono nunquam erit, nisi omnia fallunt, usque adeo
expedita res est adversus simplices malitia. At libera apertaque veritas lucem non fugit. Quare,
his subitis, consilium fuit humanitatem tuam et Reverendissimum D. Franciscum Chieregatum,
45 D. Aleandrum, D. Bombasium, D. Ioachimum Vonstede, Badrum et quicquid istic agit
amicorum praemonuisse, ne me frustra defendendo sibi meo periculo afficiant si quidem certe
nolim, ut omnium minime sum ingratus et onerosus benefactoribus – praesertim cum adversus
Abelum talem nebulonem alioquin etiam nostra opera tot annis impensa tam vilis sit. Has ut
communiter legant illi mei patroni curato et quoscunque, inquam, meae salutis studiosos noveris.
50 D. Aleandro penitissime perspectus sum. Quid opus est verbis? Vale Argentinae, post Martini.